



Disputatio juridica inauguralis ad legem Aquiliam

<https://hdl.handle.net/1874/347238>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
A D

25.

LEGEM AQUILIAM.

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum disquisitioni subjecit

A B R A H A M U S V R O L I C K , Hagâ-Batav.

A. D. 6. Julii, hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cœc Lxxxix.

Reverendo admodum Viro, ac DOMINO,

D. MICHAELI VROLICK,
Supremo Foederatarum Provinciarum
Collegio Maritimo, quod Roterodami
ad Mosam residet, ab Auctionibus, Pa-
renti suo filiali observantiâ in æternum
colendo.

UT ET

Nobilissimo, ac Amplissimo Domino,

D. FREDERICO van der VELDEN,
Legionis militaris quondam Præfecto se-
cundo, Avunculo suo dilectissimo.

AC INSUPER

Spectatissimo & Doctissimo Domino,

D. JOHANNI van DUREN,
Phil. & Med. Doctori, acutissimo, exper-
tissimo, Cognato suo omni amore pro-
sequendo.

Hæc Theses Inaugurales submisso ac devoto anime

et mentis Regis Dicat & consecrat

A B R A H A M U S V R O L I C K
Academie
A U T O R . & R E S P .
C D J C C LXXXIX



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
LEGEM AQUILIAM.

III
T H E S I S I.



Amnum injuriā datum, quod Le-
ge Aquiliā in commodum priva-
tum olim vindicabatur, hoc lo-
co tractare animus est. Certè,
Aquilio Tribuno rogante, plebi-
scitum dici debet, sed quod no-
men legis obtinuit, postquam
omnes omnino cives, tam patri-
cios quam plebeios, teneret. Damnum, si in genere su-
matur, ab ademptione dictum est, sive lucri causā fiat,
sive non, sive salvis rebus, sive pereemptis: Nostrā
vero lege illud modō considerationem meretur, quod
cum interitu rei, sine lucro damnum dantis, licet
non sine culpā ejus, datum est.

ann VI

A 2

II. Pro-

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Proinde, qui jure damnum dedit, pœnæ hujus legis non subjicitur: unde apparet, moderamine inculpatæ tutelæ adhibito, non solum pecudem, vel servum, sed etiam liberum hominem impunè posse occidi: si enim vis corpori nostro inferatur, ac aliter periculum nequeat evitari, invadentis occisio merito excusat, *l. 2. j. h. t. l. 45. §. 4. ff. h. t.* quod hoc casu invafus fugere debeat, ita intelligendum est, ut absque suo periculo id facere possit: vel longâ distantiâ absens, vel tutum receptaculum in propinquuo habens.

I I I.

Quo circâ & casus fortuitus excluditur, nempe cui omnis culpa abest: qui enim jaculis ludens hominem transeuntem vulneraverit, dum intra limites se continuerit, puta, miles sit, in loco exercitii, non est quod teneatur, *§. 4. l. 9. §. ult. b. t.* Idem jus est in ludis palmariis ac sphæristeriis, si mos constitutus bene obseretur. Hinc sensus *l. 11. b. t.* ubi pila in tonsoris manus dejecta in cultellum, servi gulam præcidit. Sic nulla culpa lignatoris, qui amputato ramo transeuntem læsit, modo iter publicum, vel via vicinalis illâc non excurreret, nam eo casu proclamare debet, *§. 5. b. t. l. 31. ff. eod.*

IV. Quin

I N A U G U R A L I S. 5

I V.

Quin & levissimæ culpæ ratio habetur, ut in iis palam est, qui equorum, aut mularum impetum, propter ipsam infirmitatem suam, retinere non potuerunt §. 8.j. h.t. Ille enim, in quo aliqua culpa est, potius damnum ferat, quam ille, cuius nulla est culpa. Proinde medici perverse venam secantis, aut medicamentum præposterè miscentis imperitia, non absque ratione plectitur, imò quandoque hujus negligentia ad ipsam culpam latam potest accedere.

V.

Tria legis Aquiliæ capita fuerunt, ex quibus secundum jam olim in desuetudinem abiit. Primum cavit de servis & pecudibus non jure occisis. An sues pecudum numero censerentur, quum non tam gramine & viridi pabulo, quam lumbricis, radiculis, glande, vescantur, neque operâ homini præstitâ, neque lacte aut lanâ prodeissent, olim dubitatum videtur: quæ quæstio sublata non Homeri solius autoritate, sed quod sub imperio pastoris, instar reliquarum pecudum, gregatim pascerentur, l. 2. § 2.b.t. l. 65. § 4. de leg. 3.

V. I.

Pœna hujus capitii, quanti occisum corpus eo anno plurimi fuerit; repetitis nempe è vulneris die tre-

A 3 cen-

6 DISPUTATIO JURIDICA

centis sexaginta quinque aliis diebus , qui numerantur retrò . Cæterum & illud in estimationem venit , quod occasione corporis occisi in aliâ re patimur , *L. 21. §. ult. cum ll. seqq. b.t.* præmium autem non affectione aut singulari utilitate , sed communi censu numerandum est *L. 33. b.t. l. 63. ad leg. Falcid.*

V I I.

Interim cuique liberum est , si servus dolo occisus sit , præter hujus legis judicium , etiam Corneliae de sicariis subire , *L. 23. §. 9. b.t. l. 3. C. eod.* hæc enim humanæ conditionis memor non distinxit quis homo periiisset , modo constaret eum dolo malo occisum , *L. 1. §. 2. ad L. Corneliam.* Igitur hæc duo judicia cumulari possunt , neque uni per alterum fit præjudicium , *L. 23. §. 9. b.t.* quum enim diversa sint , illud publicum , hoc privatum , & diversis darentur personis , nullum in concursu pepererunt scrupulum . Neque obstat *L. 4. de public. judic.* in qua , per L. Aquiliam , L. Corneliae dicitur præjudicium fieri : ibi enim per præjudicium non impedimentum , vel obstaculum , sed prius judicium intelligitur , ut ad L. Corneliae judicium , quod gravius esset , non perveniretur , nisi causa ex L. Aquilia judicio in antecessum fuisset decisa ; quum in utroque idem factum sit , & eadem probationes .

V I I I.

Actio hæc , pro voto agentium , pænalis est , non tamen semper quoad exitum : nam si res nunquam fue-

INAUGURALIS. 7

fuerit pluris, quam cum perderetur, exitus judicij est mere rei persecutorius. Non tamen hoc casu in heredem actio datur, ubi ille ex damno locupletior non fuerit factus, cum satis sit, hanc ex numero pænaliū esse, quarum odium in heredem nunquam transmittitur.

IX.

Tertium caput de omni damno reliquo cavet, nempe, servis & pecudibus vulneratis, cæteris animalibus occisis, vel vulneratis, aliisque inanimatis fractis, ulti, scissis, collisis, effusis, & quolibet modo factis deterioribus, sive deprecatiis, quæ omnes voces sub uno vocabulo *ruptis* comprehenduntur, §. 13. f. h.t. & l. 27. §. 13. cum seqq. h.t. Vulnus quoque liberi hominis huc spectat, non ad corporis æstimationem, sed pro damno pecuniario, quod vel læso, vel occisi heredibus infertur l. ult. si quadrup. pauper fec. dic. Imo ancillæ devirginatio huc pertinet. Loco *Anni*, uti in priori capite, in hoc posteriori *mensis* observatur. Illud *quanti res plurimi fuerit*, moribus nostris abrogatum est, quibus in verum pretium, & id, quod interest, agitur. *Groenew.* ad h.t.

X.

Actio I. Aquiliæ vel *Directa* est, vel *Utilis*, vel in *Factum*. *Directa* ex ipsis verbis legis fluit, & propriè in eum datur, qui suo corpore in corpus damnum dedid, v. g. si quis hominem aut pecudem sua manu trucidavit

8 DIPUT. JURID. INAUG.

davit, l. 5 i. b. t. *Utilis actio*, quæ per inrerpretationem è mente legis deducitur, & in eum competit, qui in corpus quidem, sed non suo corpore damnum dedit, cuius exempla in l. 7. §. 3. 6. l. 9. ff. b. t. In *fatum* actio est, quæ remotâ consequentiâ ex lege deducitur, & in eum datur, qui damnum intulit non quidem corpore, vel in corpus, sed alio quo-cunque modo: ut exemplum in eo, qui misericordiâ ductus alienum servum compeditum solvit, & hic fugit. Neque nos moveat in dictâ lege l. §. 3. & 6. & l. 9. exempla actionis in factum venire, in quibus damnum in ipsum corpus fertur; Ubi enim actiones in factum civiles, quas JCti. verecundè, & quam proximè ad verba legum definivere, distinguimus a prætoriis, quæ ob publicam potestatem audacter & longius a lege scriptâ recesserunt, cum tamen utræque & utiles, & in factum diverso hoc sensu dici potuerunt, tota dubitatio facillimo negotio discussa videtur.

